

quas voluit, attribuit. Si hoc, omnia etiam sunt ex nihilo educta, siquidem contra Spinozam in præcedentibus jam demonstravimus, quod non sint ex Dei essentia. Potuisse autem Deum ex nihilo aliquid producere, itidem supra probavimus, quibus addimus, quod, quia Deus gaudet potentia infinita, simul rem a *non esse* ad *esse* revocare & sistere possit.

§. 4. Est autem creatio opus *voluntatis liberissime*. etenim creationis I. causâ determinans est *Dei benignitas*, qua alia entia secum beata reddere voluit. II. causâ efficiens est partim ejus *sapientia*, quæ rebus dedit *essentiam*, partim *potentia*, quæ iis superaddidit *existentiam*. III. Finalis, ut sit *medium*, quo *Dei perfectiones tanquam in speculo* præsententur; hinc creaturæ satis recte *divinarum perfectionum specula* vocari possunt.

§. 5. Quando Deus varii generis res vel *inanimatas* vel *animatas*, vel *brutas* vel *ratione præditas* creavit, procul dubio factum est, *ut altera alterius conservationi & felicitati inserviat*. Primarius usus, quem entia rationalia ex ceterarum rerum inspectione habent, in eo consistit, *ut ad summi creatoris cognitionem & venerationem quasi manu ducantur*, proindeque ultimus creaturarum rationalium finis *Dei gloria* esse debet.

§. 6. Quæstionem vero: *num Deus mundum potuit creare meliorem?* non possumus non negare, quandoquidem Deus in creatione universi omnia *secundum rationes optimas & infinitæ ipsius sapientia ac bonitati convenientes ordinaverit*. etenim

tenim